

Batista

A. D. N. IESV CHRISTO
usque ad Paulum Papam II.

CVI ONVPHRII PANVINII

Veronensis Fratris Eremitæ Augustiniani opera,
reliquorum quoque pontificum vitæ usque
ad Pium IIII. pontificem maxi-
mum adiunctæ sunt.

Et totum opus uarijs annotationibus illustratum.



Ne turbata uolentem ~~et~~ *aculamentis,*



Nunc folio uates commodiore sonat.

*Cum Privilegijs summi Pontificis, Illustriss. Senatus Veneti,
Excellentissimiq; Florentiæ & Senarum Ducis.*

P L A T I N A D E V I T I S

cubuit, post die sanguine emissio, febris quidem remissior fuit, uerum corporis uires imminuta. uisus tamen est per aliquot dies conualescere, quibus diebus semper aliquid per familiares egit. iij. kal. Mai quum melius se habere uideretur Urbinatum, iij. kal. Ferrariensium Duces, item Camerarium, Guisium Farnesium, & Estensem Cardinales audiuit. Nocte sequenti haud multum quieuit, prid. kal. hora xij. apoplexi correptus omnes paulatim sensus amisit, & hora vij. noctis sequentis, quæ kal. Mai præcedit secundo & uigesimo pontificatus die, uitæ anno quinto & quinquagesimo minus sex diebus, maximo sui apud omnes bonos desiderio relicto, rebus humanis exemptus est, insigni hominum concursu communem iacturam dolentium ad Vaticanum facto. Cadauer publico funere elatum tenui pompa canonicorum humeris in Vaticanam Basilicam delatum, marmoreo conditum est monumento. Vacauit tum sedes dies xxij. De eo uere Virgilianum illud carmen dici potest.

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent.

P A V L V S P A P A I I I I.

232 **P**aulo IIII. Pontifici maximo patria Neapolis Campaniæ fuit, quatuor Romanorum pontificum natalibus antea celebris. Maiores ex Germania clarissimo sanguine ortos, Pisis primum, deinde Neapoli confesse fama est. Pauli auus Diomedes Carafa Matalunæ Comes magna apud Regem Neapolitanum Ferdinandum seniore auctoritate fuit: pater uero Ioannes Antonius inter Neapolitanos proceres insignis, ab uxore Victoria Camponesiæ dotis nomine Montorij comitatum accepit; ex qua duos mares, plures uero feminas, quæ clarissimis uiris in matrimonium datae sunt, suscepit: harum una religiosa uirgo monasterii Virginum Neapoli mulier sancta existimata est. Ex maribus porro alter natu maior fuit Ioannes Alfonso Montorij Comes, alter Paulus ipse, Ioannes Petrus ante pontificatum uocatus; qui in lucem editus est in Hirpinis, uico cui nomen est sancti Angeli de scala, prope furcas caudinas septimo à Beneuento lapide iij. kal. Iulij salutis anno MCCCCLXXVI. A teneris annis ingenium ad bonas artes sacræ & religiosæ uitæ institutum primum præ se tulit. Quare cū prædicatorum monasterium eius ordinis religionem professurus petiisset, ægre à parentibus imbecilliori ætate diffisis, ut inde abduci potuit; sed tandem eorum monitis cedens, ad studia quibus antea uacauerat denuo totus conuersus, ingenium exquisito litterarum delectu grauiter instruxit. Omnium por-

ro disciplinarum, & præsertim sacrarum litterarum, linguarum item, Latine, Græcæ, & Hebraicæ accuratæ cognitioni, maximam à primis annis uitæ integritatem adiunxit. Romam adolescens ueniens, diu in contuberniū Oliuerij Carasæ Cardinalis Neapolitani propinqui sui, qui tum temporis amplissimi ordinis uirtute, atque existimatione princeps, & erat, & omnium iudicio habebatur, uixit. Cuius opera, & commendatione à Iulio II. primis pontificatus mensibus, Archiepiscopus Teatinus creatus, aliquot annis post, apostolicæ sedis nuncius in Angliam ad colligendum sancti Petri uestigal missus est. Oliuero deinde uita functo, ad aulam Ferdinandi Catholici Hispaniarum regis se conferens, à prudentissimo rege, qui eius uirtutem senserat, ad consilia est admissus, & maximi sacelli regij sacerdotis, quem magnæ capellanum uocant, uicarius electus. Quo mortuo apud eius nepotem Carolum Hispaniarum regem, & postea imperatorem eadem munera aliquandiu sustinuit.

Ab Hadriano VI. qui Leoni X. successerat, quo cum ob morum fortasse similitudinem uictus ei intercesserat in Hispania consuetudo Romam euocatus, inter eos patres relatus est, quorum opera, & consilio pontifex in ecclesiastica morum censura, & nouis legibus ad restringendam solutam sacerdotum disciplinam, sanctioremque gerendi summi pontificatus rationem, quas omnino cogitabat, uteretur; apud quem tanta auctoritate, & gratia ualuit, ut si diutius nixisset, eum proculdubio in amplissimorum patrum ordinē adsciturus fuisse uideretur. In sequentibus postea annis Hadriano VI. infectis rebus è uita sublato, sedente Clemente, quum eum Cæsar Carolus V. Archiepiscopatu Brundusino ornare uoluisset, non solum episcopatum illum suo longe opulentio rem recusauit, sed etiam eum quem habebat sponte pontifici resignauit, sibi que sub monte Pincio longe ab hominum conspectu, nouo uitæ instituto modicis ædibus, neque edificio, neque amenitate conspicuis domicilium elegit, & ab omni rerum humanarum cura penitus se auertit, quo in loco sacris assidue intentus litteris, religiose aliquot annos egit. Urbis direptione consternatus, Roma discedens, Veronæ aliquandiu apud Ioannem Matthæum Gibertum Veronensem episcopum, inter sui ordinis homines clarissimum, in amenis hortis delituit; deinde quietioris illius, sanctiorisque uitæ desiderio rursus accensus Venetias commigravit; ubi longo tempore moratus ibidem religiosorum & morum sanctitate sibi commendatorum hominum conuentu coacto, pio religiosi animi decreto, seueriorem uitam cum his professus est & apud eam sancti Nicolai Tolentinatis non sine magna sanctitatis & doctrinæ opinione aliquot annis egit, presbyterorum Teatinorum in ea ciuitate, in qua summopere amatus, & obseruatus fuit, tum pri-

munum sodalitate instituta. In hoc sacerdotum ab se delectorum contubernio adhuc uiuens à Paulo III. augusta illa generosi iudicij maturitate facile superiores pontifices antecedente, nobilissima illa ix. Cardinalium publicatione, qua anno salutis ∞ DXXXVI. xi. kal. Ianuarij uiros egregios, & præstantissimos ex optimatibus ecclesie undique conquisitos, in senatum legit, Cardinalis presbyter tituli S. Clementis absens designatus, non solum maximam eam dignitatem suscepit, sed & episcopatum, quem ante dimiserat, paulo post recipiens, uaria apud omnes fama iactabatur: alij sanctissimum uirum relicto quietioris uitæ instituto ad reipublicæ fluctus se uocari passum summis laudibus extollentibus, alij contra grauiter accusantibus, qui eum callide ambitiosum in hanc summam honoris speciem omnem populum contemnētis, miro astu latibula prius quæsisse dictitantes, quæcunq; ab eo fierent uerbis eleuabant. Ipse autem Romam collato honore ad obeunda senatoria munera uenit, doctrinæ, & sanctitatis fama apud omnes clarus: nam uitæ, innocentie religionis studio, & optimis moribus multam eruditionem, præexcellentem sacrarum litterarum notitiam, facundiam uero insignem in dicenda publice sententia, & omni sermone libertatem addiderat. Animo adeo constans & fortis, ut personæ suæ ubique bene memor, nec minis, nec precibus à dicta semel sententia recederet. Si quid à Romanis pontificibus Paulo, & Iulio, sub quibus Cardinalem gessit, forte referretur, quod non ita ex apostolicæ sedis, cuius unius commodum ante omnia præpositum sibi habere dicebat, dignitate esse censeret, uel consilio aberat, uel si intempestum esset, non assentiebat. Cuius rei plurima & maxime memorabilia exempla extant.

Pontifice Paulo III. auctor in primis fuit, ut sanctæ inquisitionis tribunal præstantissimis Patrum ad id munus iudicibus lectis institueretur, qui inquirendis damnandisque hæreticis summa cum potestate præessent, latius iam per totam Italiam serpente Lutherana hæresi; cuius labes non profanos modo, sed & religiosorum hominum multos polluerat; qua ratione factum est, ut membris ægrotis, aut sanatis, aut si sanari non possent amputatis, quæ contagio insiciebantur, periculoq; propiora erant, paulatim salutariibus remedijs adhibitis pristinae sanitati restituerentur.

Ceterum quum tam in inquisitionis munere, cui ipse præ ceteris delectus fuit, magna acerbitate obeundo, quam aliis plurimis rebus ab se gestis seuerius nimis, ne seuus dicam, uideretur, cunctorumq; ordinum homines grauiter offenderet (cuiusmodi porro uitæ institutum christianam seueritatem appellare solebat) tantum sibi omnium hominum odium facile contraxit, qui seueritatem, & fortasserectam eius mentem, asperitatem, & pertinaciam in omni

omnire, tam iusta, quam iniqua propositum interpretabantur, ut eius nomen in coronis passim maledictis laceraretur. Euerē etiam nonnulli & magnæ apud omnes existimationis uiri, qui cunctas res ab eo ante pontificatum gestas, suco plenas, & ad ostentationem potius, & auram popularem captandam, quam à sincera mente profectas esse contenderent. Sed quum multa in utranq; partem recte, & secus factorum memorabilia exempla extent, in quam sententiam inclinandum sit, nostrum non est diiudicare. Et ut rem omnem paucis complectar, illud satis constanti omnium hominum fama liquet, eum ante pontificatum magnæ quidem integritatis uitæ, & doctrinæ, sed nimis seueri & asperi ingenij, obstinatiq; & nimirum sibi indulgentis animi opinione uixisse, quo intractabili ingenio hominum studia promereri nesciebat, Paulo III. ex presbytero Cardinale tituli sanctæ Mariæ Trans Tiberim episcopus primum Albanus, deinde Sabinus archiepiscopusq; Neapolitanus factus est, postea Iulio III. Tusculanam, & nouissime Ostiensem ecclesiam obtinuit. Mortuo Marcello, apud quem summum gratiæ & dignitatis locū obtinuerat, cuiusq; postea defuncti memoriam exhorruit, x. kal. Iunij, die Ascensionis, Comitij in Vaticano habitis, post non longas quidem, sed acerrimas comitiales contentiones, aliquot ex collegio patribus uehementer repugnantibus, tandem Alexandro Farnesio, & Hippolyto Estense, qui ebsu debant, prævalentibus IIII. & XL. patrum suffragijs Romanus pontifex, quum esset sui ordinis princeps, annum natus LXXIX. creatus, proximo die dominico maiorum more ante basilicam Vaticanam coronatus est, magna & uniuersali hominum, qui eius seueritatem timebant, maestitia. quod nonnullis futurarum rerum, & luctuosi graui bello pontificatus triste omen iudicatum est.

Ciuitas enim paulo liberius uiuere, præsertim proximis sub Iulio III. annis quum solita esset, seuerū & intractabile hominis ingenium iure timebat; cuius ante actam uitam communi hominum uiuendi rationi contrariam nouerat: quam aduersam de se opinionem ipse pontificatus initio auertere studens, certis quibusdam Cardinalibus ultro etiam non rogatus pollicitus est, se nihil omnino in Vrbe nouaturum, sed ueteri instituto cuncta moderaturū. Profusis deinde sumptibus, & magnifico apparatu tota urbe aulatis ornata, omnibus Cardinalibus comitatus à Palatio Vaticano profectus ad sanctum Marcum, ad malam tollendam suspicionem priuatim & publice multa liberalitatis, & clementiæ signa dedit: & cum in publicum prodiret, humanis uerbis omnium fauorem studuit promereri; sed confirmato pontificatu, ubi ad ingenium ferox animus tanquam sede sua supremæ dignitatis obtentu uipulsus, rediit, paulatim quæ longo tempore antea (ut multi opinan-

tur) agitauerat, exequiocyssime cœpit.

Omnibus Christianorum principum, in his reginæ Angliæ, & rerum publicarum oratoribus, qui gratulatum, & ad eius uenerationem christiano more Romam uenerant, publicis in consistorijs admisis, ingenium suum rursum secutus, ad innouanda multa, & emendanda cuncta conuersus, totus ad tollendos abusus, quos superiorum temporum negligentia pepererat, incubuit, ut hac saltem ratione Lutheranorum uoces contra Romanam curiam obloquentium retunderet. Quia propter quum multa summæ seueritatis edita proposuisset (quæ quamquam pleraque ad dissolutos Ciuitatis mores corrigendos reuera pertinebant) quia tamen nullo delectu, nulloq; discrimine habito, temere & ex abrupto cuncta aggredieretur, pro libidine potius, quàm certo, prudentique consilio suscepisse noua consilia uidebat. Omnibus igitur ob eam causam inuisus, quamquam multas res egregio principe dignas ageret, non tam eæ gratæ esse poterant, quam contra odiose, si quas secus fecisset.

Principio cogitauit de leuandis uestigalibus, & oneribus à superioribus pontificibus extra ordinem impostis; sed ærario inani, mentem mutare coactus est, ne grauiora indicare postea denuo cogeretur. Editio decretorum prædia ecclesiarum male, & simoniace alienata, quæ à multis, aut occupata, aut temere empta fuerant, magno multorum damno possessoribus deturbatis restitui iussit.

Iudæos tota ecclesiastica ditione sparsos, & passim Christianis nullis pæne distinctos signis admistos, certis septis more Veneto oppidatim conclusit, & ad eorum auaritiam, cuius uitij infamia gens illa in primis laborat, coercendam, usuram ijs interdixit; crocei coloris pileum, quo internosci possent, habere coegit, grauißimisq; exactionibus uexatos, singulos fere pecunijs omnibus multauit, abrogatis semel cunctis privilegijs, quibus à superioribus pontificibus donati, immanes, & intolerabiles diuitias per fas, & nefas congesserant.

Multa Iulij I. I. quæ nunquam probauerat decreta induxit; aliquot ex eius familiaribus, quorum Iulius consilijs utebatur, in carcerem coniectis; Urbis præfectum Urbini ducem in locum Horatij Farnesii, paulo ante interfecti succedit, Cardinales prouinciarum legatos, minorum ordinum rectoribus subrogatis cunctos reuocauit, præter unum fratris filium Carolū Carasam, quæ initio pontificatus, ex equite Hierosolymitano, & Neapolis priore, & qui militiæ perpetuò operam dederat, Cardinalem, & Bononiæ legatū dixerat, cuius plurimū arbitrio regebatur. Osio antiquo familiari suo Datario declarato, datariatus redditus suspendit, datariumq; seuerè admodum

nuit ne ullas pecunias pro impetrandis sacerdotijs acciperet, donec à Cardina-
libus quibusdam, quibus id postea mandauit, corrigerentur; quum sibi persua-
sisset multas pecuniarum summas eo munere contra ius cogi. Osium eundem
quem supplicibus libellis subnotandis, summæq; consiliorum suorum omnium
præfecerat, & episcopatu demum Reatino exornarat, morum rusticitate,
grauioriq; eius ingenio suboffensus, propinquorum quoque pontificis, quos ne-
gligebat, delationibus uexatum gratia in odium uersa, postea in Hadriani
mole præduro carcere habitum per quadriennium ferè inexorabili seueri-
tate custodiri iussit. Publica sanctione omnia, quæ superiores pontifices
post Iulium secundum concesserant, ad bona, & redditus ecclesiasticos perti-
nentia sustulit. Pœnitentiariæ officium, item cleri statum tam in uestitu,
quam uictu emendari abusibus sublati decreuit, nec ullius nomen recipi uo-
luit inter sacerdotiorum candidatos, quorum antea cuncta uita non probata es-
set. Triumuiralem conseruatorum Urbis potestatem amplificauit, & popu-
lo Romano immunitates omnes, & priuilegia à superioribus pontificibus cō-
cessa liberaliter auxit, & confirmauit; Tiburq; Cardinale Estense ab ad-
ministratione submoto eidem concessit. Quibus beneficiis populus inflam-
matus ad testificandum grati animi studium solenni decreto statum ei in
Capitolio marmoream antiquorum more erexit, & centum amplius ciues è
nobilitate lecti, qui sine stipendio pontificis per uices perpetui custodes no-
uo exemplo essent, equites ab eo creati. Huic suæ in Romanos nouæ libera-
litati suberat altius consilium, quod paulo post omnibus facile patuit. Mo-
liebatur enim iam inde ab initio pontificatus bellum, quod ut Romanis luben-
tius, & pro uiribus adiutantibus susciperet, eorum animos hisce beneficijs
præoccupandos statuerat. Neque enim ita multo post nudatis sensibus om-
nia quæ hactenus egregie fecerat, & multorum opinione ad æternam eius
memoriam spectantia breui temporis spatio uno difficili parum prudenti con-
filio suscepto bello maculauit: etenim dum hæc ageret magna cum laude, suo-
rum ut quidam tradunt consilij à pristina mente deductus, quam ob quasdā
suspiciones (uitæ enim suæ insidiari à suis sibi persuasum fuerat) multos re-
pente in carcerem coniecisset, comparato exercitu Gallorum, & Heluetio-
rum, siue Retorum præsidiis in Italiam euocatis, bellum graue & atrox cum
Philippo Hispaniarum Rege Caroli V. filio suscepit, armaq; sumens suscia-
tatis quæ denuo refrixerant inter reges Christianos ueteribus odiis omnia
ferè ubique terrarum turbauit, & maximis calamitatibus ecclesiæ imperio
subditis populis occasionem dedit. Cuius belli initia, & exitum breuissime
referam. Oderat ipse iam pridem intimis animi sensibus Hispanorum nomen,
qui Lotrechio Neapolitanum regnum post cladem urbis acriter inuaden-

te, Carasas aliquot omnium primos ex nobilibus ad Gallos desciscientes, a
gris, & oppidis quæ possederant post uictoriam adeptam multatos exilij
poena affecerant. Ipse quoque aliquot annis ante à Paulo III. Archiepi-
scopatu Neapolitano donatus possessione diu exclusus à Regni pro rege fue-
rat tanquam Gallicarum nimis partium studioso. Itaq; eius rebellionis tem-
pore, quo Neapolitani Petrum Toletanum, qui pro rege illius regni nego-
cia curabat, questionem religionis more Hispaniensi in regno instituire co-
nantem, multis seditionibus, & tumultibus fatigatum, ab eo consilio de-
sistere coegerunt, medijs armorum fragoribus, ipse Paulum III. arden-
tissimis precibus & magnis pollicitationibus ad arma Casari in Regnum in-
ferenda fuerat adhortatus, suam, suorumque, quos multos in regno ha-
bere iactabat, operam pollicitus. Quæ consilia prudentissimus ponti-
fex hominis animum clam admiratus, aperte quidem eius pietate, & solici-
tudine laudata, tanquam parum tempori oportuna reiecit. Ipse igitur pon-
tifex factus iniuriarum memor, tempus uenisse ratus, quo sese, suosque ula-
cisceretur, undique belli occasionem captabat, omnino sibi persuadens,
quod etiam Paulo III. persuadere conatus fuerat, ad primam belli famam
Neapolitanos à Rege ad se defecturos, spe enim deuoratam iam dudum opu-
lentissimum regnum suis præsertim, qui fortunæ arridentis indulgentia ual-
de elati erant, illuc ut fama est eum maxime impellentibus, & cuncta faci-
lia futura Gallico rege belli socio apud rerum bellicarum imperitum senem
prædicantibus. Nec cunctata fortuna illudere rebus humanis solita, faci-
lem præbuit occasionem, qua & bellum legitime posset pontifex indicare,
& Gallos in belli societatem sibi adsciscere. Per ea tempora Carolo Sfor-
tiæ Longobardiæ Priori Rex Francorum Henricus, quod is à Gallis descis-
uisset, duas per occasionem triremes ademerat, quas haud ita multo post
in Pyrgorum portu deprehensas Alexander Caroli frater Camera apostolice
clericus, nulla quod in pontificis fide, & ditione essent habita ratione
præpropere rebus necessariis collectis ui Caietam abduxit. Quæsti sunt
Regij ministri Romæ apud pontificem. ille suspicatus non absque fratris
Cardinalis Camerarij uoluntate, uel saltem conuiuentia factum, Cardina-
le grauioribus uerbis, & minis exagitato Ioannem Franciscum Lotinum
Volaterranum intimum Cardinalis secretarium, per eos dies à Cesare re-
uersum in uincula coniecit. Hinc mutui odij, & simultatum origo manauit;
quas pontifex aliquot diebus post auxit, quum renuntiatum ei esset, quos-
dam Cesareæ factionis regulos modo apud Cardinalem ipsum, modo apud
Marcum Antonium Columnam clandestina colloquia contra ipsum habere,
quodque ipse Lotinus Cardinalis omnium conscius consiliorum, statim à co-
mitijs

mitijs ad Cæsarem missus esset, qui eum de tota comitiorum ratione, & exitu quod Cæsari patrum probanda uiderentur, diligenter doceret. Pontifex ne quod ita re ipsa comperisset, seu belli occasionem, quam diu ante pontificatum quæsiisset, nactus, ira concitus corporis custodia aucta, & aliquot cohortibus conscriptis Cardinalem ante omnes Camerarium, Camillum Columnam, & paulo post Abbatem Bercinium Hispanum ex fuga Bononiæ retractum in molem Hadriani contexit. Marco Antonio Columnæ, qui statim à Camerarij carcere Vrbe exierat, Neapolimque se contulerat ad causam dicendam citato. Iulianum Cæsarinum intra paucos dies, & Ascanium Corneum sibi suspectos uadibus datis, Vrbe discedere prohibuit, Triremibus autem Gallorum regi quas confestim reddi pontifex iusserat restitutis, aliquot Cardinalium precibus, Camerarium, & Camillum Columnam, uadibus ne Vrbe exirent datis, è custodia dimisit, Marcum Antonium Columnam, quia ad tempus præscriptum non adfuerat, paterna ditione, quam in agro ecclesiastico habebat, exuere cogitauit, Ioanna Arragonia matre cum Nuru, & filiabus Vrbe egredi uetitis, Alexandrum quoque Sfortiam absentem, contumaciæ damnatum per eos dies clericatu priuauit. Dum hæc Romæ gerantur, Ioanna Arragonia irritati pontificis uim timens, initio anni 1526 D L V I. Vrbe clam excedens occasionem furenti principi dedit, ut quæ ante maximo cum domus Columnæ detrimento inchoauerat, perficeret: etenim questionibus habitis, Marcum Antonium, & eius patrem Ascanium, qui tum Neapoli in custodia detinebatur, anathemate notatos, dignitatibus omnibus, & auitis possessionibus, quas in ditione ecclesiastica obtinebant, priuauit. Et omnia eorum oppida (quod multis duarum & futurorum malorum causa uisa est) Ioanni Comiti Montorij fratris sui filio, dūcatus Paliani titulo addixit, & haud ita multos post, alterum Comitis fratrem Antonium Carasam Oppidi Montis belli Marchionem creauit, quod Comiti Balnei pecuniæ, quam in bellicos usus Rex Francorum in Italiam miserat, depredatæ insimulato, & ob eam rem absenti contumaciæ damnato, annis eripuerat. Non sine magno Cæsarianorum timore Palianum à Duce Caroli Cardinalis Carasæ, & Petri Strotij, qui tum Romæ aderat, consilio ex bellica arte munitum fuit, tum quod ea ratione Columnis eius recuperandi spes prorsus adimeretur, tum quod tanquam belli arx aduersus regnum Neapolitanum esset futurum. Bellum igitur pontifex, cuius maxime cupiditate flagrabat, adornans, auditis inducijs quinquennalibus, quæ inter Cæsarem, & Regem Francorum pactæ fuerant, & eas conatibus suis officere animaduertens, specie curandæ pacis, legatos duos Cardinales, Scipionem Rebibam ad Regem Philippum, & Carolum Cara-

P L A T I N A D E V I T I S

fam ad Regem Francorum destinavit . Scipione proficiscente quidem, uerum ex itinere reuocato, Carafa ad Regem maritimo itinere se contulit, à quo communi omnium opinione arma pro pace retulit . Spe enim belli tanquam uictoria & Regni Neapolitani possessio iam in manibus esset, rege inescato, quasi ad opem pontifici ferendam (ne ab induciarum fide Henricus Rex sine caussa descisse uideretur) Gallica auxilia duce Guisio impectrauit . Interea pōtifex aucta suspicione ob interceptas Casarianorum litteras, Iulianum Casarinum primum, deinde Camillum Columnam, & eius fratrem Archiepiscopum Tarentinum, Garziam Lassum, Hippolytum Capilupum Herculis Gonzagæ Mantuani Cardinalis in Vrbe procuratorem, Antonium Tassum magistrum Tabellariorum equestrium à Casariana factione, in carcerem coniecit .

Pontifex interim Paliano munito, & duce belli fratris filio imperatore creato, Urbem maximo cum uicinarum ædium, etiam sacrarum, & uinearum damno, terreis aggeribus munebat, portas magnis præsidij per dispositas stationes firmabat, eius rei cura Camillo Ursino demandata delictum tota ecclesiastica ditione habebat, exercitum, comæatus, & cetera ad bellum necessaria comparabat . Ferdinandus porro Toletanus Albæ dux, qui tum pro rege Philippo regnum obtinebat, his, quæ Romæ fiebant auditis, totus in belli quod timebat curas, multis conscripitis, & ex statim in unum coactis cohortibus incubuit . Frequentes tum uliro citroque numtij pacis componendæ caussa missi, uerum pontifex ira turgidus, in bellum pronus, nullas pacis conditiones suscipere uoluit, sæpe dictitans optimā pacem non nisi sæuo præeunte bello recte confici posse . Armorum initio Ascanius Corneus Velitrarū munitioni præfectus, quum ob quasdam suspensiones à pontifice capi iussus esset, fuga salutem sibi quaesivit à Casarianis honorifice susceptus : quare publicatis bonis exul factus, & frater eius Cardinalis Perusinus in arcem est coniectus .

Armis autem primum à Casarianis in ecclesiastica ditionis finibus motis (inferre enim quam excipere tam apertum bellum maluerunt) Pons cornuus primo impetu, deinde Frusino, postea Anagnia, Marinum, Lauici, Preneste, Tibur, Ostia, Caer, Genecianum, Neptunum, Alba, Vicus Varronis, Monsfortinus, & totum denique Latium in eorum potestatem reductum est . Horum pars à pontificiis recepta, pars miserabiliter incensa, & direptioni exposita, eo bello, quod toto hoc anno, & magna sequentis parte Gallis præsertim & Heluetiis in pontificis auxilium euocatis tanta animorum obstinatione durauit, ut infelix Latium penè totum igne & ferro consumptum sit . Quo bello ærario exhausto, papa magna,
et ex=

et extraordinaria tributa, exactionesque grauissimas assidue indicere, et acerbissime exigere coactus est. ex qua re maximum sibi omnium hominum odium confluxit. Ante omnia belli initio duabus decimis omnium Urbis sacerdotiorum imperatis, et mensura omnium officiorum solutione fisco addicta, creditorum pecunias, quas uarijs de causis debitoribus mutuo dederant, sibi adiudicauit; equos deinde à singulis tota urbe eripiens, omnes Religionum ordines, ut in terreis, quæ construebat, propugnaculis, nemini uacatione concessa, operam suam ponerent, coegit. Aedibus sacris pro belli commeatu horreis abusus est.

Cuius belli ut creditum est occasione Placentia Octauio Farnesio, Parmae Duci restituta, ipse in gratiam à rege Philippo receptus est, quæ res papæ animum ualde perturbauit totum in eo certamine defixum. Nam Octauij ut pote Regis Hispaniarum hostis, operam eo bello sibi pollicebatur. Ceterum reditu ex Galliis Cardinalis Carasæ recreatus, bellum maxima obstinatione per integrum annum miserabili totius Latij clade, Urbis damno, prouinciarum ecclesiæ, et omnium hominum uexatione, et calamitate gessit: et quamquam pax sæpe oblata esset, nunquam tamen, dum uires fuere, ut eam probaret, adduci potuit; quinimo præter Gallos, et Heluetios in armorum societatem euocatos, Veneti quoque à Cardinale Carasæ pontificis iussu magnis propositis præmijs, sed frustra sollicitati. Francorum copias superatis alpijs Dux Guisus adduxit: totius uero regii exercitus, qui ecclesiæ præsidio uenerat, uel in Italia lectus fuerat, Imperator Hercules Ferrariensium Dux est electus. Gallicus exercitus, quum in Piceno diutius stagna non sine totius prouinciæ maxima uexatione habuisset, Ciuitella in Regni finibus frustra obfessa, commeatu deficiente, et pace paulo post facta, partim in Galliam et Corsicam reuersus est, partim in Etruria apud Montem Ilcinum, qui regijs prædijs tenebatur, resedit.

Aliquot Helueticorum cohortes, quæ papæ subsidio uenerant, male à Cesarianis multis cæsis acceptæ fuerunt. Et haud dubie bellum longius protrahum fuisset, nisi celebris apud sanctum Quintinum regis Philippi aduersus Francos uictoria mense Augusto audita esset; qua omnis fere Gallica nobilitas capta erat. Hæc res pontificis animum ad pacis conditiones compulit; quum et illud intelligeret eo se bello parum proficere, et summo toti Italiæ damno esse, Roma præsertim paulo ante ab hostibus Marco Antonio Columna, et Ascanio Corneo ductoribus penè dolo capta. His rationibus adductis pacem tractare cepit, quæ Venetæ Respublica, Florentiæ Ducis, et Cardinalis Camerarij opera xviij. kal. Octobris certis conditionibus icta, consecrataque est; pro pontifice Cardinalis Carasæ, pro rege

Rr

P L A T I N A D E V I T I S

Dux Albæ pacis sponsores fuerunt . Vix autem Cardinales , qui pro pontifice pacis sponcioni adfuerant , in Urbem reuersi erant , quum Urbe tot malis non dum rite lustrata , expiataque , bello fere parem aliam cladem accepit ; Tiberis enim alueum egressus adeo occupatis urbis locis planis , quæ frequentissime habitantur , exundare cœpit , & urbs tota magna ædificiorum iactura nauigabilis esset , & omnes omnium fortunæ , quæ bello reliquæ erant , omnino perderentur . Similem calamitatem disfluente extra ripas Arno , at longe grauiorem aliquot pontibus uel dirutis , uel exæsis Florentia sensit . Pace facta Dux Guisus cum copiarum parte Pyrgis mare conscendens , in Galliam delatus est ; Dux Albæ Romam ingressus , pontificis quæ pedibus osculatis omnibus pœnis absolutus , honorifice est susceptus . Cuius opera qui in arce Casariani detinebantur dimissi . Bello composito pontifex ad pristina sua emendandæ Reipublicæ pereuntis consilia reuersus , animum ad res ecclesiasticas componendas proximis annis afflictas conuertit . Carolum Carasam ad Regem Hispaniæ , & Antonium Triuultium ad Regem Francorum Legatos pro pace inter eos , uel inducijs componendis , & domesticis super ducatu Paliani negotijs tractandis misit . Inquisitionis deinde tribunali , coram quo non hæreses solum , sed multa etiam crimina , quæ ceterorum iudicum sententiis definiri solebant , agitari uoluit ; reliquis omnibus curis ab se abdicatis , & in aliquot ministros , aut Cardinalem Carasam reiectis , & ad cognoscenda , iudicandaque eadem scelera totum se addixit , magna reorum multitudine inquisitionis carceri inclusa .

Ad X V I . Cardinales , qui eidem concilio interessent , legit , maximo inquisitore Cardinale Alexandrino creato , cui in hæreticos , & in eorundem criminum suspectos inquirendi , animaduertendique munus demandauit . Grandem librorum indicem , qui ab se ad hæresim quoquo modo pertinentes damnatos libros contineret , maximo Bibliopolarum , & litteratorum hominum clamore publicari mandauit , ipsosque graui edicto , & anathematate uel legi , uel teneri prohibuit . Cardinalem Polum uirum ab omni labe purissimum , & sanctissimum , ob ueteres (ut quidam existimarunt) similitates , non sine magna omnium admiratione legatione Anglica priuauit . Ioannem Moronum Cardinalem Polo ueteri familiaritate coniunctum , quem ex morum dissimilitudine oderat , hæreseos reum fecit , & in molem Hadriani cum Cauensi episcopo conclusum , longo carcere afflixit , at postremo etiã omnibus eum dignitatibus exuere cogitauit : quod omnium iudicio fecisset , ni morbo urgente aliquandiu differre coactum , postea fatum præoccupasset . Multos præterea omnium ordinum , ætatum , & conditionum non sine magna seuitiæ nota uexauit . Singulos ex singulis mensibus dies constituit , quibus

quibus publice omnes se adeuntes audiret. Quo tempore quum Carolus V. Imperator rerum humanarum tædio affectus fratri Ferdinando iam Cæsari creato, imperij quo se abdicauerat titulos per manus tradidisset, Pontifex ueteri in Cæsarem odio incensus translationem illam, tanquam se inconsulto, & præter sacros canones factam, improbauit, neque Ferdinandum Imperatorem, neq; eius Legatos admittere, dum uixit, uoluit.

Auditoris Camerae officium aboleuit, idque in Regentem Camerae apostolicæ conuersum, maximisq; priuilegijs auctum fratris nepoti Alfonso Cardinali Neapolitano magno Camerarii damno addixit; multa enim è Camerarij munere adempta, huic officio Paulus attribuerat.

Monasticam seu religiosam uitam semel professos omnes in monasteria unde quacunque de causa exierant, edicto suo redire nulla admessa excusatione iussit; Monasteriorum uero præfectos ut eos reciperent non coegit, (quare nihil iniquius) idque tanta adhibita seueritate, ne quid grauius dixerim, fecit, ut non ita subito obtemperantes quum alij alias exitus sui legitimas causas ostenderent, ueluti detractantes imperium inauditis & immanibus seuissimorum satellitum custodiis adhibitis, tota ecclesiastica ditione in uincula uno die coniecit, multis ad triremes indicta causa damnatis, omnes uero quotquot potuit in monasteria sua redire coegit. Venetiæ tum fuere miseris qui obtemperare ob uarias causas non poterant, tutissimum refugium. Laudem porro magnam omnium testimonio promeruit, quum raro iustitiæ, & æquitatis exemplo cognitis, quæ fratris filii toti ecclesiasticæ ditioni præpositi contra ius, & fas ad eam diem grauius patrauerant, frequenti patrum senatu Cardinalem Carasam à rerum cura, & Bononiæ legatione submouit; Paliani ducem principis totius ecclesiastici exercitus loci dignitate, & Triremium præfectura; Marchionem uero Montis belli custodia palatij apostolici priuauit, in eos adeo uehementi oratione frequenti senatu inuectus, quæ præposteros illorum mores detestatus seuerissime eosdem accusabat, ut Cardinales quosdam animum eius commotum sedare, atque illos excusare conantes, atroci uultu auersus, longe grauiora, nisi statim omnes Vrbe cederent, minaretur, & Cardinalem quidem magnam cum ignominia Vrbe exactum apud Lauinium, reliquos uero in sua castella relegauit. Omnibus demum ijs, quibus ipsi aliquos magistratus mandauerant, loco, & dignitate pulsus, quibusdam etiam in carcerem coniectis nouos prouinciarum præfides in eorum locum suffecit. Aliquot deinde quæ imperauerat postoria, & tributa, quasi se in scio indicta quum leuasset, Palatij & Urbis custodiam Camillo Vrsino commendauit. Cui uita functo Ioannem Antonium Vrsinum Grauinæ ducis fratrem sublegit. Quorundam

quoque tam Cardinalium quam minorum ordinum qui tanto muneri obeunda idonei ei uidebantur, collegium instituit, qui pro se grauiter iam agrotante, ipse uice omnes totius ecclesiasticae ditionis causas cognosceret, ut his factis omnem in suos praeitarum rerum culpam deriuaret; ipse autem totum se inquisitionis muneri dederat. Cardinales **XIX.** quattuor lectionibus creauit. in his tres e gente sua, quinque ueteri familiaritate coniunctos, reliquos doctrinae, et integritatis uitae opinione sibi gratos. Duo, quae res noua uisa fuit, sacram purpuram recusarunt, Ioannes Gioperus Germanus, et Guillelmus Petus Anglus. Diem festum Cathedrae sancti Petri apostoli, quando Romam primum uenit, ad **xy. kal. Februarii**, qui antiquitus in Romana ecclesia celebratus iam exoleuerat, restituit, sacrorum mysteriorum solennia quantum in se erat augere cupiens: quamquam igitur maxima egregij pontificis salutaria documenta, quod inficiari nemo potest, daret; quia tamen inusitato more cuncta ingenti adhibita asperitate pro libidine potius, quam legitimis causis inductus aggredi palam uideretur; nihil neque tam sanctum, neque tam laudabile facere potuit, quod non etiam multorum bonorum quoque sermonibus carperetur, et in omnium ferre urbanorum reprehensionem non caderet, quorum omnium in se atrox odium concitaret: tanti refert, quo quidque modo, quo uel tempore agatur. Quare ut semel in se conceptum odium exstingeret, aut etiam sedaret, nunquam efficere potuit, scilicet malefactorum omnes sumus tenacissimi, benefactorum uero pluma leuior est gratia. Eius porro pontificatum ita durum ab omnibus existimatum, fortuna tamen illustrauit, et insignem fecit nobili illa, et memorabili pace Dei beneficio inter duos summos orbis Christiani principes post affinitatem contractam, facta, Henricum Francorum, et Philippum Hispaniae Reges. In cuius laetitia et celebritate Rex ipse Henricus, equestri ludicro certamine, quo nobilissimi quique ad spectantium matronarum uoluptatem habitis inter se concurrere solent, misere interfectus, foederum, et Regni successorem reliquit Franciscum **II.** filium adhuc impuberem. Cuius pacis causa Romae a pontifice, more maiorum, insignes supplicationes habita, et multa laetitia signa edita.

Henrici Regis mortem grauis aegritudo pontificis subsecuta est, qui a qua intercute laborans diu in quibusdam Vaticani palatii cubiculis reclusus, medicorum praescripto fuerat. Ceterum strangulatae fratris nurus, amatorisque suspecti occisi nuntium pontifici consternato celerioris mortis causam attulisse creditum est. Itaque crescente morbo, quum eius salus desperata esset, ad **xy. kal. Septembris hora xij.** Pontifex, qui sibi mortem instare sentiebat, Cardinales omnes conuocari iussit, quibus in eius cubicu

lum

lum conuenientibus, primum ab eis petijt, ut si remissior in senatu cogendofuisset, quam sui officij ratio postulare uideretur, id etati, & incommodæ ualitudini tribuerent; deinde ut consentirent in optimo pontifice deligendo. Postremo inquisitionis officium, quod sanctissimum appellabat, & quo uno niti affirmabat apostolicæ sedis auctoritatem eis commendauit, multisque præterea dictis diligenter se excusando, inter mortuis penè uocibus patres dimisit; eoque iam animam agente, apertæ sunt statim uetere instituto omnes Urbis custodiæ, & à furente populo, qui per Urbem ueluti amens discursabat, pontificisque & Carasorum omnium memoriam execrabatur, cum tabularijs incensus est carcer nouus inquisitionis, ijs, qui in eo tenebantur, emissis. Intentatum quoque in sacram Dominicanorum ædem ad Mineruam incendium est, à qua uix piorum hominum precibus permoti manus abstinere. Decessit autem Paulus xy. kal. Septembris hora xxi. anno 66 D L I X. etatis suæ IIII. & octogesimo, mense uno, diebus xxij. Pontificatus uero quarto supra mensem secundum, & diem xxvij. Cadauer Canonici sancti Petri Feretrum succollantibus, in basilicam Vaticanam tenui pompa delatum est, & lateritio tumulo sepultum. Vacauit tum sedes menses quattuor, & dies septem. Quo statim uita functo cursu ad Capitolium ab exagitato & furente populo facto, caput cum dextera manu eius statuae, quæ in palatio Conseruatorum magno sumptu è pario marmore, nobilis artificis manu posita erat, præcisum, & per Urbem triduo prouolutum, raptatumque & omni genere excrementorum foedatam, tandem in Tiberim bonorum quorundam uirorum misericordia, quum iam populi exsaturati rabies languescere coepisset, proiectum fuit; tantumque publico populi Romani edicto ubique promulgato, uti Carasæ familie insignia ex tota Vrbe, quocunque demum loco collocata, picta, aut incisa essent, funditus tollerentur, proposita si quis non obtemperasset graui perduellionis poena. Itaque eo die nullum penè in Vrbe Carasarum insigne reliquum fuit. Fuit Paulus IIII. statura magna, corpore graeili, ac subtristi, & minaci, uultu macro, oculis introrsus recedentibus, & atroci obtutu, scintillantibus, ac igneis, naso paruo, rara, & breui barba, tibijs exulceratis. Valetudine fuit aliqui prospera, ut qui nunquam medicorum opera usus fuisset, quamquam in uictu non admodum diligens esset. Felix proculdubio, & fortunatus futurus, si in priuata uita optima omnium de se opinione decedens, summum pontificatum, qui uiros maxime ostendit, nunquam attigisset.